



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitvlvm XXXI. Si à Sede.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

illa enim ratio est de mandato exequendi, postquam beneficium collatum, ideoque gratia facta est, nam si Papa Clerico pauperi contulerit beneficium, & executori mandet, ut eum in possessionem mittat, hoc est sufficit causam conferendi, videlicet paupertatem, substituisse tempore collationis, tamen non subsistat tempore executionis, quia Clericus provisorius interim v. g. hereditate ditatus est, vel aliud beneficium canonicè consecutus; idque sumitur ex reg. 73. in 6. factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari, & bene annotavit Dominicus hic col. 1. In priore autem casu, si videlicet gratia impetrata à Papa non sit facta, sed faciendâ à Commissario, precum veritate inspectâ, juxta c. 2. de reservatione verificari debent preces non tantum secundum tempus impetrationis litterarum, sed etiam secundum tempus gratiæ à commissario faciendæ; v. g. dispensationis super voto, super matrimonij impedimento Apostolicâ auctoritate dandæ; prout tradit Sanchez S. de Matrimonio disp. 38. n. 12. & lae dixi lib. 1. tract. 4. c. 22. q. 2.

Sed quid, si Papa Titio nullum beneficium habenti, in forma gratiosa mandavit, beneficium conferri proximè vacaturum, sique interea beneficium ad sustentationem sufficiens consecutus sit, num executor seu commissarius mandatum exequi possit? Affirmant Gl. hic. v. pauper. Ioann. Monachus n. 3. Ancharan. col. 1. Franc. n. 2. dummodo beneficium, quod ex Papæ mandato confertur, non sit incompatible cum prius accepto. Ratio dari debet, quia carentia beneficij non est causa adæquata mandati de providendo, cum sæpe Papa, beneficium habenti, aliud conferri jubeat, & hoc quidem certum est, si prius beneficium sufficiens non sit. Sed contrarium mihi placet, si beneficium sufficiat ad congruam sustentationem. argum. cit. c. postulasti c. i. cui 19. hoc lib. c. 111. ex quibus textibus habetur, quod non censeatur esse intentio Papæ mandantis provisionem bene-

ficij, ut provideatur ei, qui sufficiens jam habet, nisi id exprimat.

Veruntamen, cum hodie frequens sit, ut beneficia plura simplicia, si compatible sint, impetrentur, & conferantur, relinquendo conscientiam cujuslibet, num ea omnia cum superfluis redditibus retinere possit, idem prior sententia teneri potest, quia, licet, si tempore impetrationis Clericus beneficium habuisset, rescriptum obreptitium fuisset, non facta mentione beneficij, cit. c. postulasti. cit. c. si motu, tamen, cum semel rescriptum, seu mandatum vigorem habuit, non debet ex superveniente adeptione beneficij, alioquin compatibilis, corrui, quandoquidem sufficiens adhuc causa rescripti gratiosi sustentans adest, videlicet favor & liberalitas Papæ, & impetrans saltem secundum hujus temporis consuetudinem, tanquam non idoneus repelli non potest. Vide, quæ docui in cit. c. 22. n. 144.

## CAPITULUM XXXI.

## Si à Sede.

## PARAPHRASIS.

Si literis à duobus impetrantibus exhibitis appareat, idem beneficium eodem die collatum fuisse à Papa, vel Legato à latere, & ab Ordinario; nesciatur verò, utri ex duobus prius facta sit collatio, potior esse debet possidentis conditio, si neuter possideat, tunc is, cui Sedes Apostolica, vel Legatus ejus contulit; propter majorem conferentis prærogativam, alteri præferri debet.

## SUMMARIUM.

1. In causa dubia melior est conditio possidentis.
2. Si dubium sit, quæ potestas præveniat alteram in causa, quæ ab utroque confici potest, attendi debet ad prærogativam Superioris.
3. Ex doctrina tradita duo deducuntur. Notandum primò. In causa dubia melior est conditio possidentis, regula

X

170. ff.



170. ff. & docui lib. 1. tract. 1. c. 5. n. 21. neque cogitur possessor rem tradere petitori in causa dubia, & non demonstrata, prout hic Ancharan. monet ex c. inter. in fine. de fide instrumentorum, cum enim obsecura sunt jura partium, contra eum, qui petitor est, judicari consuevit.

2 Notandum secundò. Si duæ potestates concurrant cum jure præventionis, & nesciatur, utra prævenit, attendi debet prærogativa potioris, seu superioris; sic Papa in conferendis beneficijs concurrat nonnunquam cum inferioribus ordinarijs collatoribus, similiter & Legatus à latere, ita ut inter eos, spectato communi jure, præventioni locus sit, atque is provilus jus acquirat, cui prius collatio facta fuit, uti docui lib. 4. tract. 2. c. 10. n. 2. sin. autem dubium sit, utra prius facta fuerit, ejus collatio præferenda, qui majore conferendi potestate fungitur, ita ut beneficia sibi etiam reservare possit, videlicet Papa, & Legatus à latere, prout supra dictum in c. 2. & c. hi, qui 12. hoc lib. & tit.

3 Corollarium primum. Si Vicarius generalis per potestatem ipsi ab Episcopo specificè indultam, beneficium vacans contulerit Cajo, & Episcopus Titio, nec sciatur, uter prævenit, præferenda est collatio Episcopi, eò quòd potestas in Episcopo major, & potior sit, Vicarij autem dependens, cui proinde Episcopus derogare potest. *argum. c. dudum 14. §. nos igitur hoc lib. & tit. & docui in disput. de jurisdictione ordinaria con. 99. & monet hic Franc. n. 4.*

Corollarium secundum. Cum Camera Spirensis secundùm communiorem sententiam in jurisdictione concurrat cum Cæsare, seu Cæsarea Aula, & detur locus præventionis, idè si in aliquo casu dubitetur, num in Cæsaris aula, an in Camera jurisdictione prius cæpta, seu præventa sit, pro Aula pronuntiandum erit ob majorem, & superiorem ejus prærogativam, siquidem in Cæsare residet jurisdictione tanquam in fonte, & origine, atque secundùm plenitudinem potestatis, in Camera autem secundùm

derivationem ac participationem. Quia de re Thomas Baumajster de jurisdictione Imperij Romani lib. 2. c. 4. n. 20.

## CAPITULUM XXXII. Cum singula.

### PARAPHRASIS.

Quia officia singula singulis personis committenda sunt, & dissolutionis atque revagationis materia, Religiosis antea illius, auferenda, idè prohibet Bonifacius VIII. ne Monachus, aut Religiosus aliquis, pluribus Prioratibus, aut Ecclesijs curam animarum habentibus, licet ex per Presbyteros Vicarios, Episcopo præsentandos, & ab eodem institutos administrari soleant, sine Apostolicæ Sedis licentia præesse præsumat; sin autem Religiosus Prioratum, aut curatam Ecclesiam obtinens, aliud simile beneficium recipiat, prius, cum eo privatus existat, ipso jure statim dimittere debet, ut ab eo, ad quem id pertinet, alteriliberè conferri possit; quod si non fecerit, ex eo tempore ineligibilis factus sit, & tanquam ambitiosus ab utroque beneficio amoveatur. Quod verò attinet ad eos, qui tempore hujus editæ constitutionis plures prioratus, vel Ecclesiarum curam animarum habentes obtinebant, decernitur, ut intra mensem à notitia hujus constitutionis accepta numerandum, unum ex ijs, alijs dimissis, sibi eligant, alioquin nisi fecerint, eisdem, quæ supra dicta sunt, pœnis subjaceant.

### SUMMARIUM.

1. Ut singula officia Ecclesiastica singulis conferantur, consultum ac decens est.
2. Hoc capitulum specialiter de Religiosis, qui plura curata, v. g. personatum, & dignitates obtinent, agit.

Notandum primò. Consultum, ac decens est, ut Ecclesiastica officia singula singulis committantur, non autem unum plura,